

526

oppositæ sunt responsiones Philosophicæ, quæ publicè habentur, nolo  
tempus terere inani repetitione. De ipsa autem re paucis monebo. Ac  
primum quidem novum illud commentum pugnat cum ipsis prin-  
cipiis artis Logicæ. Nam improprietas illa propositionum Logica-  
rum necessum est, ut habeat in ipsa arte Logica regulam & normam,  
ex qua agnoscenda & judicanda sit, & ad eandem redigenda, ut pro-  
pria evadat. Sicut enim obliquum judicatur ex recto, irregulare ex  
regula; ita improprium Logicum judicandum est ex Logica proprie-  
tate, tanquam regula. Cæterum quia improprietas illa consideratur  
in predicatione: planum est referri ad judicium sive dispositionem,  
nimirum axiomaticam. Notæ verò sunt regulæ sive Canones de ar-  
gumentis disponendis: ex quibus hæc generalissima est: Argumenta  
ta consentanea affirmando, dissentanea negando dispon-  
nuntur. Hæc igitur Christi propositio. Hoc est corpus meum:  
itemq; Pauli: panis quem frangimus est communicatio cor-  
poris Christi: non deflectit ab illo Canone, quoniam in eo consen-  
tanea argumenta disponuntur affirmatè. Quando verò specialiter  
queritur, quænam argumenta hic disponantur, respondebit Logicus  
Theologus, panem esse causam instrumentalem sive medium divini-  
tùs destinatum distribuendo & percipiendo corpori Christi. Proinde  
in propositione Paulina est descriptio panis ab officio sive usu sacra-  
mentalii. Nulla igitur ibi Logica improprietas. Propositio autè Chri-  
sti continet descriptionem cibi Eucharistici. Quare neq; hic Logica  
improprietas locum habet. Porro propositio Ecclesiastica: panis est  
corpus Christi: si ita crude offeratur Logico, dicet esse factam ex  
disparatis: quæcum componantur affirmando, negabit esse veram,  
& ex agro Logico exterminabit, quia pugnat cum summo Canone:  
Dissentanea negando disponuntur. At verò si Theologus ad-  
diderit explicationem: panis ille non respectu suæ substantiæ, sed offi-  
cii sacramentalis, in ipsa dispensatione S. cœnæ, est corpus Christi, id  
est, communicatio corporis Christi: Promptè respondebit Logicus, es-  
se illam panis descriptionem ex officio sive usu sacramentali. Nulla